MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81164-2

AUTHOR:

ERATOSTHENES

TITLE:

ERATOSTHENES CATASTERISMORUM ...

PLACE:

ANSBACH

DATE:

1899

Master Negative #

93-81164-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Eratosthenes. Catasterismi 1899

Eratosthenes Catasterismorum fragmenta Vaticana, praemissum est de Catasterismorum recensionibus commentariolum ... von Dr. Albert Rehm ... Ansbach, Brügel, 1899.

xxvi, 18 p. 22½ cm.

"Programm des K. Humanistischen gymnasiums, Ansbach ... "

104519

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-9-93 INITIALS Susan

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

ERATOSTHENIS CATASTERISMORUM FRAGMENTA VATICANA.

Praemissum est
de Catasterismorum recensionibus
commentariolum.

PROGRAMM

des

K. humanistischen Gymnasiums

Ansbach

für das Schuljahr 1898/99

von

Dr. Albert Rehm,
K. Gymnasiallehrer.

Ansbach.
Druck von C. Brügel & Sohn.
1899.

I.

Nuper cum in bibliotheca Vaticana studiis ab eis, quae in Catasterismos contuli, longe longeque remotis occupatus codicem poposcissem, dum, ut tempus tererem, catalogos codicum evolvo, quaerere coepi, numquid in illa bibliotheca lateret, quod ad siderales Graecorum fabulas pertineret. Et inveni in eo capite, cui illic *Ἀστέρες* inscriptum est: „Cod. 199. fol. 16. *Περί τινων ἀστέρων ἱστορίαι. ἡ ἀρχή· οὗτος δοκεῖ εἶναι ὁ Φρίξον.*“ Quae verba e Catasterismis sumpta esse memineram. Postero autem die, cum cod. 199 mihi allatus esset, inveni post Aratum (cf. Maassii editionis praef. p. XIX, V) septem imagines siderales ab homine delineandi plane imperito pictas; inde a fol. 16^{v} autem usque ad fol. 19^{v} siderales fabulae exstant; quas magnam partem congruere cum eis, quas Ol(ivieri)*) in editione epitomes Catasterismorum e cod. Marciano 444 (= R, cf. praef. eius p. VII) edidit, primo obtutu apparuit; sed nonnulla intermixta erant e scholiis Arateis repetita. Hunc codicem cum partim contulissem, partim descripsissem, ad alios quosdam, qui notabiles mihi visi erant, accessi, inter quos inveni eum, de quo nunc pluribus acturus sum; in catalogo haec inveneram: „Cod. 1087. p. 300. *Ἀστερισμοὶ μετὰ τῆς ἑρμηνείας καὶ ἱστορίας.*“

Cod. Vat. gr. 1087 (= T) est miscellaneus saec. XV., chartaceus, e variis variae formae codicibus compositus; insunt autem haec:

fol. 1 *Ἐπιστολὴ Νικηφόρου τοῦ Γρηγορᾶ πρὸς τὸν μέγαν λογοθέτην τὸν συγγραφέα τῆς βίβλου παρακλητικὴ περὶ τῆς ἀστρονομίας* (cf. Krumbacher, Byz. Litt.-Gesch.[2] p. 623); fol. 3^{r}—122^{r}, 148^{r}—221^{v} duo libri, alter 91, alter (incipit fol. 191^{v}) 12 capitum *Ἀστρονομικῆς κατ᾽ ἐπιτομὴν στοιχειώσεως, — Θεοδώρου τοῦ Μετοχίτου*, ut inscriptione fol. 5 inserta docemur (cf. Krumbacher[2]

*) De siglis cf. „Praemonenda“ editioni addita.

p. 552. 623) —; fol. 123^{r}—147^{v} interpositus est alius liber, Theonis ad Ptolemaei Magnae Syntaxis ll. VIII—XIII Commentarius; fol. 223^{r}—299^{v} legitur *Ἐπιτετμημένον ἐγκώμιον τῆς Πτολεμαίου Μαθηματικῆς Συντάξεως*; fol. 312^{v}—320^{v} *Νικηφόρου τοῦ Γρηγορᾶ Περὶ τῆς ἐν ἐπιπέδῳ καταγραφῆς τοῦ ἀστρολάβου* (cf. Krumbacher[2] p. 623).

Sed fol. 300^{r}—312^{r} insunt quae editurus sum capita, intermixtis in fol. 300^{v}— 310^{v} plurimis et singulorum siderum et zodiaci et totius sphaerae imaginibus manu satis eleganti delineatis; de quibus alio loco agam. Textus autem minusculis litteris scriptus est, paucis ligaturis, a duobus librariis, quorum a l t e r modo diligenter litteras erectas, modo neglegentius inclinatas exaravit, a l t e r pallidissimo atramento cum pluribus ligaturis in margine vel laterali vel superiore aut inferiore, aut ubi inter imagines spatium suppetebat, sua addidit, plerumque, ut videbimus, scholia Aratea eis, quae nos tenemus, uberiora compilans; quem infra et in editione interpolatorem adpellavi.

Atque hunc in modum textus per libellum dispersus invenitur:

fol.*) 300^{r} 1) *Περὶ τοῦ μεγάλου Ἰχθύος* (XXXVIII secundum ordinem Catasterismorum)
2) *Περὶ τοῦ Θυτηρίου* (XXXIX)
3) *Περὶ τοῦ Κενταύρου* (XL)
4) *Περὶ τοῦ Ὕδρου, ἐφ' ᾧ Κρατὴρ καὶ Κόραξ* (XLI)
5) *Περὶ τοῦ Προκυνός* (XLII)
6) *Περὶ τῶν Ὄνων καὶ τῆς Φάτνης* (ex XI)
ab interpolatore: de Protrygetere et Coma Berenices (= Ol. p. XII s. cf. M. p. 574 s.).

fol. 300^{v}—310^{v} imagines; earum nomina partim a prima manu, partim ab interpolatore adscripta sunt; historiolas addidit interpolator ad Anguem cum Corvo et Cratere (*τοῦτον τὸν ὄφιν οἱ μὲν Ἕλληνες — Νεῖλον* ∽ schol. Ar. p. 424, 22. 23), ad Mercurium planetam (*κηρύκειον, ὃ καὶ εἰώθασιν (φέρειν) οἱ περὶ (σπον)δῶν καὶ διαλλαγῶν *** ποιούμενοι*), ad Geminos — item infra ad Olorem, Aquarium, Cetus — (paucula cum Catast. convenientia), ad Cancrum (*ὁ Καρκίνος ἐτέθη κτλ.* ∽ schol. Ar. p. 364, 13—15), ad Perseum (*τέμνων τὴν κεφαλὴν τῆς Μεδούσης*), ad Capricornum (*εἰς Αἰγόκερων μετεσχηματίσθη ὁ Πᾶν κτλ.* ∽ schol. Ar. p. 397, 2. 3, addito *ἐστὶ δὲ χέρσυγρος, διὸ καὶ οὐρὰν ἔχει ἰχθύος*), ad Ursas cum Dracone (Creticam fabulam ∽ schol. Ar. p. 349, 23—26 *εἰς ἄρκτους*), ad Argo (longum de Argonautis caput, quod tamen nil novi continet), ad Leonem (*ὁ Λέων — οὐρανίων* = schol. Ar. p. 364, 18. 19), ad Cassiopeam (*Κασσιέπεια γυνὴ οὖσα τοῦ Κηφέως ἤρισε — φέροντες* = schol. Ar. p. 372, 20—26, addito post *παύσασθαι* (sic): *τὸ δεινόν· ὅθεν καὶ προετέθη μετὰ τῶν οἰκείων κόσμων. προσηλώθη δέ, ἵνα μὴ ἀποδράσῃ· μέλλοντος δὲ ἤδη τοῦ κήτους ἐξιέναι* (sic) *καὶ βορὰν ποιεῖσθαι αὐτήν, παριὼν ὁ Περσεὺς τὸ μὲν κῆτος ἀπέκτεινε, τὴν δὲ Ἀνδρομέδαν ἠλευθέρωσε. πάντες γοῦν . . .*).

*) Longitudine 31, 4, latitudine 21, 8 cm.

fol. 311^{r} 7) *Περὶ τοῦ Κυνός* (XXXIII)
8) *Περὶ τοῦ Δελτωτοῦ* (XX)
9) *Περὶ τῶν Ἰχθύων* (XXI)
10) *Περὶ τοῦ Περσέως* (XXII)
11) *Περὶ τῆς Λύρας* (XXIV)

fol. 311^{v} 12) *Περὶ τοῦ Ὄρνιθος* (XXV)
13) *Περὶ τοῦ Στεφάνου* (V)
14) *Περὶ τοῦ Ὀφιούχου* (VI)
15) *Περὶ τοῦ Βοώτου* [*τοῦ καὶ Ἀρκτοφύλακος* ab interpol.] (VIII)
16) *Περὶ τοῦ Ὀιστοῦ* (XXIX)
17) *Περὶ τοῦ Ἀετοῦ* (XXX)
18) *Περὶ τοῦ Δελφῖνος* (XXXI) (prior pars)

fol. 312^{r} 18) (posterior pars)
19) *Περὶ τοῦ Λαγωοῦ* (XXXIV)
20) *Περὶ τοῦ Κήτους* (XXXVI)
21) *Περὶ τοῦ Ποταμοῦ* (XXXVII)
22) *Περὶ τοῦ Ἡνιόχου* (XIII)
23) *Περὶ τοῦ Ἵππου* (XVIII)
24) *Περὶ τοῦ Κριοῦ* (XIX)
25) *Περὶ τοῦ Ταύρου* (XIV)
ab interp. *Περὶ τοῦ βορείου Στεφάνου* (∽ schol. Ar. p. 352, 28—353, 3 *τινὲς δὲ κτλ.*).

Qui primus codicem scripsit, historiolis e Catasterismis sumptis nihil aliunde addidit. Quam vero Catasterismorum recensionem excerpserit, Maassii Comm. in Ar. rel. docemur. Aratus enim Latinus (= l, Anonymus II apud M.) qui dicitur auctus legitur Catasterismis scholiorum instar insertis; atque Catasterismorum capita in universum ita sunt disposita, ut in ep BP feruntur, Asinorum tamen et Praesepii catasterismus post cetera capita ad Arati Diosemiorum v. 892—908 enarratur. Itaque quicumque liber Catasterismorum Asinos post Antecanem habet seorsum tractatos, ex ea Arati editione fluxit, quae nobis latine conservata est. Quod cadit in cod. T*); nam capita 1—6 plane ad exemplar recensionis l disposita sunt. Cetera capita nullo certo ordine feruntur, ita tamen, ut nonnullae partes Catasterismorum ordinem servent: 13—15 = V—VIII (omisso VII), 22—24 = XIII—XIX (omissis XIV, XV, XVI, XVII), 8—12 = XX—XXV (omisso XXIII), 16—21, 1—5 = XXIX — XLII (omissis XXXII, XXXIII, XXXV); 7 (XXXIII) post 10, 25 (XIV) post 22 suum locum habent: iam si reputaveris altero (7) post imagines novam capitum seriem incipi, altero finiri, deinde si reputaveris 2—6 et 8 neglegenter, 1, 7, 9 et quae sequuntur diligenter scripta esse, mihi credes capita 7 et 25 a librario primo omissa, tum in spatium quod supererat relata esse.

Nunc ad ceteros Catasterismorum codices graecos accedamus, quibus quidem cum l et T communis ordo sit! Atque in cod. Vat. gr. 199 (= W) (s. XV, chartaceo) insunt haec:

fol. 16ᵛ T 24, 25, *Περὶ τοῦ βορείου Στεφάνου* caput; deinde caput meteorologicum *Περὶ τῶν τῆς σελήνης σημείων πρόγνωσις* (quod iam in summa pagina scribi coeptum erat)

fol. 17ʳ T 1, 2, 3, 4 (prior pars)

fol. 17ᵛ T 4 (posterior pars), 5, 6, de Protrygetere et Coma caput, 7, 8**)

fol. 18ʳ historiolae eaedem, quas T fol. 301ᵛ — 308ʳ continet, eodem ordine redditae

fol. 18ᵛ in primis quattuor lineis earum finis, T 9, 10, 11 (prior pars)

*) Sic adpellavi Vat. 1087 Olivierii vestigia premens, qui Vindob. 341 S, Marcianum 444 R adpellavit.

**) Usque ad *τὸ πρῶτον* XX* 4 (editiunculae meae, cuius capp. asterisco signavi), cetera omissa.

fol. 19ʳ T 11 (posterior pars), 13, 15, 16, 17 (prior pars)

fol. 19ᵛ T 17 (posterior pars), 18, 19, 21, 22, 23.

Sine dubio, qui codicem scripsit, scribere coepit a fol. 17ʳ, deinde unam paginam reservavit, quo adnotationes imaginibus in T additas reciperet, quae capita supererant, in fol. 16ᵛ rettulit; omisit socordia capp. 12, 14, 20.

Marcianus 444 (R) habet capp. T 1—6, interpolationem de Protrygetere et Coma, 7—15 prorsus eodem quo T ordine collocata. Itaque cum codicis T ordo, ut supra demonstravimus, ab ipso huius codicis librario constitutus sit, deinde cum et W et R omnium interpolationum, quas cod. T accepit, particeps sit, omnium fere mendorum, lacunarum omnium, neque alteruter plura quam T, sed uterque pauciora habeat, dubium non est, quin T et codicis W et R archetypus sit putandus; eorum igitur lectiones in editiuncula nusquam fere respexi.*)

Sed haec hactenus. Ipsum codicem T non solum per se stare, sed ex aliqua Arati cum Catasterismis editione derivatum esse, de qua etiam aliunde notitiam haberemus, iam supra p. IV monui. Alter ille fons est „Aratus Latinus"; cuius textum codicis R simillimum esse Maassius, ubi primum R eius oculis accidit, perspexit (cf. Proll. eius p. XXXVII); itaque M., cum codicem R ederet (p. 573 ss.), libri l similitudines, quantum e re esse videbatur, addidit.

Vacat l interpolationibus, quas T perpessus est**), habet omnia Catasterismorum capita, licet non omnes habeat fabulas; aliquot autem locis, quos in editiuncula passim significavi, l pauciora habet

) Nova in R et W accesserunt menda, quarum maxima pars ex ipsa codicis T scriptura explicatur, velut in W XL 5 *ἄστρῳ* (*ἄτρῳ* T), in RW XI* 4 *οὔτω* (*οὔπω* T), in cap. de Protrygetere et Coma Ol. p. XIII 6 *ἐξ* RW (*δ'* T), V* 13 *τεθηκέναι* (*τεθῆκεναι, κε* linea transfixo, T), XXII* 11 *ὑπνωκείας* (*ὑπνωκυίας* ita scriptum, ut pro *ει* accipi possit, T); quomodo autem in R XXXIII* illud *ὕδωρ ᾐτήσατο* pro *ἐδωρήσατο* ortum sit, ignoro. Nonnunquam RW veriora conservaverunt — vel potius coniectura sunt assecuti; velut XX* 5 *ὃς τὸν* R (*ὡς τὸν* T), XXI* 3 *τούτων* RW (*τοῦτον* T), XXXIX* 10 *βούλωνται* RW (*βούλονται T*); magis me mirum habet, quod XLI* 13 *Ἀρχαίλαος*, XLI* 14 *Ἰδιοφύλου* habent RW, *Ἀρχέλαος* et *Ἰδιοφυ* T; itaque si quis R et W non ex ipso T, sed ex apographo archetypi simillimo derivatos esse contenderit, non erit, quod obloquar.

**) Sed suas accepit nonnullas (cf. M. Proll. p. XXXVII).

quam T: his locis aut l mutilatum esse aut eius exemplar mutilum fuisse apparet (cf. etiam M. Proll. p. XLII); praeterea instructus est stellarum indicibus, quos T ut legit, ita plerumque omisit (cf. tamen capp. XX*, XXI*, XXII* 15 adn.); non est igitur, cur T et l e communi fonte fluxisse pluribus demonstrem: quem communem archetypum siglo z indicabo.

Quae est recensionis l barbaries — nam nusquam fere, ubi graeca desunt, potest intellegi —, pergratum nobis accideret, si aliae recensiones exstarent ex eodem archetypo derivatae. Atque est capitum ordo idem in scholiis ad Germanici Aratea Sangermanensibus (G); nec tamen ea re quidquam proficimus. Nam M. feliciter cognovit haec scholia nihil aliud esse nisi libri l recensionem interpolatam*).

Mihi autem, dum, quae in Vaticana bibliotheca inveneram, publici iuris sum facturus, in animo fuit, non haec Catasterismorum capita denuo edere, sed recensionis z fragmenta graece servata. Itaque non plus supplevi aut correxi, quam ad intellegendum necessaria esse videbantur; ne nomina propria quidem volui emendare, quo facilius librorum affinitas perspiceretur. Nam in ea indaganda omnis haec opera versatur: eo consilio ita

*) Interpolationes scholiorum G cum Isidoro congruentes ad Suetonii Pratum non sunt certe referendae, nisi forte quis Suetonio illud *Geon qui et Nilus* (Rob. p. 179, 1) est tributurus. Sed recte M. has interpolationes ex Isidoro desumptas esse contendit. Quid, quod inter eas etiam Serviani in Vergili carmina commentarii vestigia exstant? Nam quod et in schol. G Br. p. 150, 14, M. p. 229, 7 et apud Isid. Orig. III 70, 13 de Pliadibus legitur *sunt enim hae septem stellae ante genua Tauri.* idem error recurrit apud Serv. in Verg. Georg. I 138 (III 1, 164 Thilo): *signum est ante genua Tauri.* Est hic locus ex eis, quibus Isidorum pleniore quam quod exstat Servii exemplari usum esse efficitur (de quibus locis cf. H. Dressel, De Isidori Originum fontibus, diss. Gotting. 1874, p. 55 ss.); nam quae apud Isidorum legimus *sunt enim stellae septem ante genua Tauri, ex quibus sex videntur, nam una latet,* ea prava paraphrasis sunt versuum Ovidianorum, quorum memoriam servavit Prob. in Verg. Buc. et Georg. (ad Georg. I 138, p. 35, 18 Keil): *quarum mentionem facit Ovidius in Phaenomenis dicens de Perseo*:

Pliades ante genus septem radiare feruntur,
Sed tamen apparet sub opaca septima nube (= Ar. v. 254 s. 258)!

Horum igitur versuum mendosa paraphrasis olim apud Servium exstabat: e Servio errorem Isidorus, ex Isidoro schol. G receperunt.

adornavi editionem, ut, quomodo ep et scholia BP et Hyg a z differant, facile cognosceretur; quod ut efficeretur, quamquam iam M. et Ol. non solum ep, sed etiam BP et Hyg nonnusquam cum z contulerunt, cum multo saepius quam illi horum variam lectionem adnotandam ducerem, facere non potui, quin — invitus mehercle! — etiam ea capita, quae iam a M. et Ol. impressa sunt, tota repeterem*). Atque id saltem factum esse spero, ut Roberti editio aliquantulum suppleretur: totos Catasterismos denuo edi oportebit, si tandem aliquando digna prodierit editio Hygini Astronomicorum.

*) Consentaneum est etiam Maassii adnotationem partim mihi repetendam fuisse; fateorque nonnulla illum vidisse, quae me, cum consulto singula capita illius notis non lectis excuterem, fugerant. Omnino de hac opusculi parte, si quae omisisse inveniar, veniam imploro, quam facile minusculae hae res oculorum aciem fallerent, multifariam expertus.

II.

Omnes Catasterismorum recensiones dum inter se comparo, non potui non quaerere, quonam modo inter se cohaererent. Praeivit partim Rob., qui in praeclara illa praefatione, qua fundamenta editionis suae iecit, p. 11 BP et Hyg integro opere usos esse, p. 23. 25 schol. G et ep ex „ampliore epitoma“ fluxisse statuit.

Jam vero, cum pro schol. G latina Catasterismorum versio (ineptissime illa quidem confecta, sed fidelissime) publici iuris facta esset, non in eis acquiescendum videbatur, quae enucleavit Rob.; quod facere fortasse liceret, si recte Rob. et BP et Hyg ex ipsis Catasterismis iisdem, unde „amplior epitoma“ fluxit, sua sumpsisse opinaretur. At illi ut eodem usi sunt exemplari (cuius rei infra in C permulta documenta invenies), ita non sunt usi Catasterismis, quales librarii recensionum z et ep in manibus habuerunt: intercedit liber quidam (a me siglo y notatus), in quo haud pauca omissa erant, quae in Catasterismis exstitisse veri simillimum est. Sed quomodo eiusmodi lacunis in argumentando utendum sit, prius explicare conabor. Nam unusquisque eorum, qui Catasterismos propagaverunt, quamquam vel BP et Hyg nonnunquam ad verbum graecum exemplar reddunt, multa consulto aut mutavit aut omisit; quae cum ita sint, si duae recensiones idem omiserunt, non protinus concludendum est id in earum fontibus defuisse. Magno tamen similitudinum numero movebimur; magis movebimur, si invenerimus non solum singula verba vel enuntiatum aliquod relativum, sed etiam tota capita vel magnas capitum partes prorsus eodem modo ac velut uno consilio in duabus recensionibus contracta vel omissa esse. Quibus perpensis conferas velim inter sat multos illos editiunculae meae locos, ubi „om. y“ notavi, hosce: VIII*

6 *ἀφ᾽ — πόλις*, XIX* 6 *καὶ — ἀπολέσας*, XXIV* 21 *ἐπισημασίαν — ὥραν*, XXIX* 6—9 *ἦν δὲ — ἐλθεῖν*, XXXI* 5 *ὡς — Νηρηῖδες*, XXXVI* 5 *ἱστορεῖ — Ἀνδρομέδᾳ*, deinde XL Rob. p. 186, 12—18 *ἔχει δὲ καὶ — θύρσον*. In brevius contraxit y fabulas XXVI et XXXIII Rob. p. 168. 169, 25 (de cane Orionis)*). Maximi autem momenti est stellarum catalogus fabulae II Rob. p. 58. 59, 13 *reliquae autem duae* etc. (habet y, om. ep): nam z non solum haec habet, sed etiam antea (ut in I et III) doctum, sed non iam intellegibile caput de sideris positione: atque cohaeret enuntiatum, cuius initium adscripsi, cum hoc capite astronomico artissime; qui ergo factum esse putabimus, ut et BP et Hyg, suo Marte uterque, nihil nisi huius unius capitis finem conservaret? Dixerit quis, quaecumque z et ep plura habent, interpolata esse; quamquam videat, quomodo hoc demonstret: non tamen eadem praesto est explicatio, si BP et Hyg eisdem interpolationibus laborant; et equidem complures suspicor inveniri, sed satis habeo eam referre, de qua nemo erit qui dubitet: III (infra C 4) enim Draconis stellarum catalogus ad Arati exemplar mutatus est**). Non erat in animo omnia afferre, cum quae attuli satis esse sperarem.

Sed omnino cum z tam multa, quae ep omisit, cum y communia habeat, si z non cum y cohaeret, non iam de Catasterismis ipsis et Catasterismorum aliqua e p i t o m a agitur. Quae cum ita essent, non amplius mihi videbatur cunctandum denuo atque accuratius quaerere, quomodo z ep y inter se cohaererent. Aliter enim, quid in Catasterismis fuerit, nunquam certo sciemus. Nam ea frustula, quae unius recensionis sunt propria, utrum interpolata an genuina sint, facilius cognoscemus, si ea recensio cum una e ceteris communem habet fontem, quam si sola per se stat. Deinde ex eis, quae z y habent, ep omisit, summa Roberti in restituendis Cataste-

*) Ultima dubito num sit interpolata.

**) Nonnullis locis, ubi in Rob. editione BP et Hyg inter se discrepant, quae ex Hyg attulit Rob., non sunt ad Catast. referenda; velut VII Rob. p. 73, 19—20 *itaque — Orion*, XXX Rob. p. 157, 6—9 *itaque — finxerunt*, XL Rob. p. 185, 5—7 *pietate — numeraretur*, XLIII Rob. p. 195, 15. 16 Saturni, 23. 24 Herculis, p. 197, 2. 3 Junonis mentio. Quae Hyg habet Rob. XIV p. 113, 6—8 (*etsi nonnulli — Hyades essent V*) e communi fonte y p o s s u n t provenire, si, quae BP antea habet Rob. p. 110, 24 (*Myrtilus autem — dicit*), genuina sunt. Ceterum hoc ut nimis incertum in C omisi.

rismis argumentationi accedit fides, si z ex alio atque BP Hyg fonte fluxit, sin ex eodem, nihil ad hanc rem recensione z efficitur.

Sed ut tandem ad propositum veniamus, utar ad recensiones distinguendas praeter lacunas etiam corruptelis. Qua ratione haec inveni:

A. z cum ep y comparatur.*)

1—3. I—III M. p. 183. 186. 189 de Ursarum et Draconis positione caelesti**).	om. ep y, sed 2 fortasse legit y, cum habeat extrema.
4. V* 12 *τοῦ στεφάνου*	om. ep y
5. V* 14 *συνεδόκει δὲ καὶ τοῖς θεοῖς****)	om. ep y, sed ep om. etiam, quae praecedunt.
6. VI* 4. 5 *διὰ τὴν κεραυνοβολίαν δοκεῖ αὐτῷ τιμὴν ἀπονεῖμαι ταύτην*	*εἰς τὰ ἄστρα ἀνήγαγεν* ep y
7. VIII* 3—5 a) *ᾤκησε δὲ περὶ τὸ Λύκαιον φθείραντος αὐτὴν Διός·*	a) om. ep y
b) *οὗ προσποιησάμενος ὁ Λυκάων τὸν Δία ἐξένιζεν,*	b) *προσποιησάμενος* et *τὸ βρέφος* om. ep, y utrumque legisse videtur (*infantem* BP, *προσπ.* autem latet in *cum alia carne* Hyg, *cum exitio* BP).

*) Ex capitum ordine in ep y diverso cave quidquam concludas, nam ut recensioni z utique affines sunt ii libri, qui eundem ordinem sequuntur, ita, cum recensionis z librarium suo Marte invertisse ordinem fingi possit, ei libri, qui ab hoc ordine discedunt, non debent ex alio fonte fluxisse. Sed ne stellarum quidem catalogis multum iuvamur; qui in T omnes fere desunt, in l temere sunt saepe mutati, neque hoc in graeco libro factum esse verisimile est.

**) cf. Böhme Rh. M. XLII [1887] p. 298 ss., diss. meam Hermes XXXIV [1899] p. 265. 270.

***) Vix deesse potest, cum ipse Theseus non potuerit coronam inter sidera referre.

c) *ὥς φησιν Ἡσίοδος**).	c) om. ep y
b) *καὶ τὸ βρέφος κατακόψας παρέθηκεν ἐπὶ τὴν τράπεζαν.*	
8. IX M. p. 201 a 1 (*Hesiodus*) *in Operibus***)	om. ep y, sed y om. etiam, quae sequuntur.
9. XV M. p. 214, 18—20 *inter medium autem septentrionalis circuli et aestivo solstitio hic aquilonius vocatur sic****).	om. ep y, sed ep om. etiam, quae praecedunt.
10. XVI M. p. 215 a 16 *unde, ut dictum est*†), *inter astra ponitur iuxtra alterutrum.*	om. ep Hyg; potest hoc vel aliquid tale lectum esse a BP: *ob quam rem longe habitus eorum diversus est* (Rob. p. 116, 7).
11. XVIII* 11. 12 *ἕως μέν τινος κρύπτειν, ἐπειδὴ δὲ καταφανὴς ἦν*	om. ep y
12. XXII* 14. 15 *ἐν ᾗ προείρηται διασκευῇ*††).	om. ep y
13. XXIII M. p. 229, 1—7 Arati de obscuritate septimae Pliadis versus (haec l, de z vide p. XII adn.**)).	om. ep y
14. XXIII M. p. 229, 7 *alii vero quidam* (*qui iam* codd.) *putant fugiens prae timore Orionis.*	om. ep y. Totius capitis ordo plane alius apud z Av. (v. 582—600), alius apud ep y Ov. (Fast. IV 169 ss.)†††) schol. Σ 486:

*) Hanc quoque fabulae partem ut Hesiodeam in Catast. ferri demonstravi in dissertatione inaugurali (Mythographische Untersuchungen über griechische Sternsagen München 1896) p. 36 s., cf. Wochenschrift f. kl. Philol. 1897 p. 1430.

**) cf. Rob. p. 82 adn. et schol. Ar.

***) Cf. Herm. XXXIV p. 260, 8.

†) Agitur de Cassiopea inter Cepheum et Andromedam constituta; *ut dictum est* ad „Catalogos" rettulerim, ut in quibus Cepheus et Andromeda (et Perseus) ante Cassiopeam tractati essent.

††) Agitur de Persei sideris ἅρπῃ et de eius capite obscuro ut κυνῇ velato.

†††) De Hyg et schol. Ar. Rob. p. 136 s. 1—13 cf. diss. p. 15, de Ovidio diss. p. 29.

z Av.: 1. de Electra Orionem fugiente (Av. aliquanto plura habet quam z),
2. de Electra Troiae interitum lugente,
3. de Merope Sisyphi*) uxore (**omissis** ceterarum Pliadum nominibus ac viris)**),

ep y etc.: 1. de Pliadum viris,
2. de Electra Troiae interitum lugente (2 ante 1 schol. Σ 486; om. ep BP)***).

15. XXIV* 11 *ὑφ' οὗ ἦν δεδοξασμένος*	om. ep y, sed in y (BP) inde explicatur illud *neglegentius Liberum colere coepit* (Rob. p. 140, 5): in y ut in z fuit *οὐκέτι ἐτίμα*†)
16. XXV* 3 *'Ράμνον* z	*'Ραμνοῦντα* ep y
17. XXVI M. p. 235 a 19. 20 *inter astra autem putatur certum esse*††). (Etiam quae sequuntur, ab ep diversa sunt).	om. ep y, sed in y tota haec fabula contracta est.
18. XXIX* 8. 9 *καὶ ἐπὶ τούτου Ἄβαρίν τινα φερόμενον ἐλθεῖν*†††).	om. ep y, sed y om. etiam, quae praecedunt.

---

*) In *Ippodamia* (l) latet *δαμεῖσα*.

**) Haec non solum in l, sed etiam in z omissa, Arati versus 262 s. in initio capitis inserta fuisse inde concluserim, quod in Ar. Lat. (M. p. 228, 12) hi versus desiderantur; quam lacunam e scholiis interpositis explicari monuit Maasius (in adn.).

***) Arati in Theopropum carmen laudant schol. Σ 486, schol. Ar., z, om. Hyg.

†) Thiaso saepe adnumeratur Orpheus; cf. Roscheri Myth. lex. I 1 p. 1051.

††) Quid sit, non assequor.

†††) Hoc loco nova quaedam e z lucramur; nam ex eo sequitur non laudatum esse Heraclidem Ponticum in Catasterismis propter fabulam de Cyclopibus

19. XXX* 2 *οὗτος ἐκόμισε Γανυμήδην κτλ.*	*οὗτός ἐστιν ὁ Γανυμήδην ἀνακομίσας εἰς οὐρανὸν κτλ.* ep y
20. XXX* 3 *ἕτερον*	*πρότερον* ep y
21. XXXII M. p. 247 a 15 *Neptuno* (idem schol. G)	*'Ηφαίστῳ* ep y
22. XXXII M. p. 248 a*) 14 *pellente illum contra Latonem adveniens ille percussit eum et***)	om. ep BP (haec et quae praecedunt om. Hyg); quid BP legerit, non satis constat, cum nihil habeat nisi *qui poenas magniloquentiae eius exigeret* (Rob. p. 164, 2).
23. XXXII M. p. 249 a 25 *et supervidetur nitida una* (stellarum summa 18)***).	om. ep y, stellarum summam habent 17.
24. XXXIV* 6. 7 *τὸν δὲ αὐτὸν τρόπον καὶ Ἀρχέλαος ἐν τοῖς Ἰδιοφυέσι ταῦτα δηλοῖ.*	om. ep y (de z cf. 27).
25. XXXVIII* 10. 11 *τελείαν περὶ τοῦ συμπτώματος τιμήν* T	om. ep y l: interpolatio codicis T propria.

---

ab Apolline interfectis et de sagitta apud Hyperboreos abdita posteaque repetita: A b a r i n narraverat Heraclides sagitta illa advectum esse (*ἐλθεῖν*, non *περιελθεῖν*), non, ut Herodotus IV 36 et Lycurgus (Sauppe, Oratores Attici II p. 271) voluerunt sagittam pro signo divinae legationis ferentem per totam terram vel per totam Graeciam esse vagatum. Sed quo advectus est? Videtur Heraclidi convenire cum Hecataeo Abderita (Diod. II 47, 5): *ὡσαύτως δὲ καὶ ἐκ τῶν 'Υπερβορέων Ἄβαριν εἰς τὴν 'Ελλάδα καταντήσαντα τὸ παλαιὸν ἀνασῶσαι τὴν πρὸς Δ η λ ί ο υ ς εὔνοιάν τε καὶ συγγένειαν;* hi igitur ex Hyperboreis Delum perlatum esse Abarin tradiderunt. Ceterum ne nunc quidem temere coniectandum Heraclidis *Περὶ δικαιοσύνης* libros eosdem atque *Ἄβαριν* fuisse (cf. O. Voss, De Her. Pont. vita et scriptis, Rostock 1896 p. 42. 55—58).

*) In eadem fabula ex l BP in Catast. inseras:

BP (Br. p. 93, 11) *quorum contra magnitudinem stellae quoque eorum amplissimae sunt. ceterique auctores de eis idem proferunt.*	l *maxime autem inter astra factus. de hoc verius plurimi testificantur.*

**) = *ἐπείγουσα αὐτὸν ἐπὶ τὴν Λητώ· ὁ δὲ προσελθὼν ἀνεῖλεν αὐτὸν καὶ* . . .; hoc in narratione a ceteris tradita desiderari videram diss. p. 26 s., suppleveram ex Ov. (Fast. V 541 ss.), qui in „Catalogis" hoc legit.

***) Hic numerus est Hipparcheus, cf. Herm. XXXIV p. 253, 20. 21.

26. XXXIX* 4. 5 *ἔχοντος τοῦ πυρὸς κάλυμμα, ὅπως μὴ ἴδωσι τὴν τοῦ κεραυνοῦ δύναμιν**).	om. ep y, sed ep om. etiam, quae praecedunt.
27. XLI* 13. 14 *καὶ Ἀρχέλαος δέ φησιν ὁμοίως ἐν τοῖς Ἰδιοφυέσιν***).	om. ep y
28. XLII M. p. 271 a 7 *propter quod et circa Orionem oritur et occidit****).	om. ep y†).

B. **ep cum z y comparatur.**

1. VII Orion Dianae tentator; cf. Rob ad h. l.	Orion Dianae amicus z y

---

*) Cf. schol. Ar. Rob. p. 182, 7. *Αἴτιον* est, quo explicatur, cur in turibulis operculis utantur homines: scatent „aetiis" Titanomachiae fabulae siderales.

**) 24 et 27 interpolata esse credo; moveor autem enuntiatorum forma; nam cum antecedentibus obiter coniuncta sunt. Archelaum in commentariis Arateis etiam alio loco commemoratum fuisse coniecit Maassius ad Achillis fr. 6 Comm. in Ar. rel. p. 79, 6. 7 adn.

***) Vide, nonne z (= *διὸ καὶ περὶ τὸν Ὠρίωνα ἀνατέλλει καὶ δύνει*) interpolatus sit; nam antequam z innotuit, ea secundum Eratosthenem (sed perperam) mihi quidem videbatur similitudo Antecanis cum Cane dici, quod utriusque prima stella clara esset.

†) Sunt quidam loci, qui ad quaestionem nostram facerent, nisi aut ep aut y totam ubi inveniuntur fabulam omisissent, velut

VII M. p. 196, 10 *quod Terra audito hoc mirata est* l	*Jovem autem utriusque animum miratum* Hyg
XVII M. p. 217, 19 *in pedalium de summitate manu nitidas duas* l	*in bracchio unam, in manu alteram* Hyg ∽ BP
(= *ἐπὶ τοῦ πήχεως* [cf. M. p. 233,1] *ὑπ' ἄκρας τῆς χειρὸς β' λαμπρούς*)	(= *ἐπὶ τοῦ βραχίονος α', ἐπὶ τῆς χειρὸς α'*)
XXIII M. p. 229,8 *Aratus autem „in Divinis"* l (cf. schol. Ar. p. 391, 21, schol. Σ 486)	Hyg habet fabulam, nomina om.; fabulam quoque om. BP ep.
XXVIII M. p. 241 a 7 *Centaurus autem, ut praediximus, non est* l	*quod Centaurus duplex sit* BP (cf. Herm. XXXIV p. 275).

2. VII Rob. p. 74, 7 *προηγεῖται**) *μὲν ἐν αὐτοῖς πάντων φαιδρότερος ὢν ὁ ἐπὶ τῆς βορείας χηλῆς λαμπρὸς ἀστήρ.*	om. z y
3. VIII* 7 *τῆς ὠμότητος αὐτὸν μυσαχθείς*	om. z y
4. IX Rob. p. 82, 14 *ἀλλ' εἰς τὰ ὄρη ὑπεχώρει*	om. z y, sed z om. etiam, quae praecedunt.
5. IX Rob. p. 84, 12 *οἱ δὲ Ἶσιν***)	om. z y, sed z etiam Atargatin om.
6. XII Rob. p. 96, 11—13 (cum adn.) *ὅθεν καὶ τὴν δορὰν αὐτοῦ ἔσχεν, ὡς ἔνδοξον ἔργον πεποιηκώς. οὗτός ἐστιν ὁ ἐν τῇ Νεμέᾳ ὑπ' αὐτοῦ φονευθείς.*	om. z y, sed z om. etiam, quae praecedunt.
7. XIV Rob. p. 112, 2 *ὃς δὴ ὑπεναντία ἕρπει καθ' ἑαυτὸν ἔχων τὴν κεφαλήν.*	om. z y
8. XIX* 3 *τῆς μητρός*	om. z y

9. XX* 3 in capitis initio enuntiatum causale, quod habent z y, abiit in absolutum.

10. XXII Rob. p. 132, 17 adn., Ol. p. 27, 1 *ἔχουσα ε'*	om. z y
11. XXV* 3, Rob. p. 142, 12 *Νεμέσεως ἐρασθῆναι, ἐπεὶ αὐτὴ πᾶσαν ἤμειβε μορφήν, ἵνα τὴν παρθενίαν φυλάξῃ, καὶ τότε κύκνος γέγονεν· οὕτω καὶ αὐτὸν ὁμοιωθέντα τῷ ὀρνέῳ τούτῳ ...* ***)	om. z y

---

*) *Προηγεῖσθαι* in Catast. alio loco non invenitur (sed *ἡγεῖσθαι* cap. II).

**) Cf. Av. v. 282; neque tamen Avieni testimonio genuinus esse locus demonstratur, cf. cap. III.

***) Claudicat enuntiatum, *ὁμοιωθέντα* repetitur; mirum etiam, quod locus,

12. XXV* 4 ἐκκολαφθῆναι καὶ	om. z y
13. XXVIII Rob. p. 152, 30 ὅλων φανερῶν*)	om. z y
14. XXIX* Rob. p. 154, 6—10 = ed. mea adn. ad l. 5**)	in z y haec fabula varium in modum mutilata. z fortasse idem legit, quod habet ep.
15. XXX* 2. 3 ἔστι δὲ ἐν τοῖς ἄστροις, διόσον καὶ πρότερον, ὅτε	ἦν δὲ καὶ πρότερον (ἕτερον z) Διός· ὅτε γὰρ z y
16. XXX* 11 Rob. p. 156, 24 καὶ διὰ τοῦτο τῆς ἐν οὐρανῷ τιμῆς ἀξιωθῆναι	om. z y, κατηστερισμένον, quod antecedit, legerunt l Hyg (om. T BP).
17. XXXII Rob. p. 164, 15—23 de Orione Dianae tentatore.	om. z y***); cf. B 1. Herm. XXXIV p. 264 adn. 3.
18. XXXIII Rob. p. 170, 14—17 in stellarum catalogo narratur stellas maximo candore praeditas Sirios adpellari.	hoc in z y in fabulari parte legitur, in z BP post Amphidis fabulam, in fine totius capitis apud Hyg†).
19. XXXV Rob. p. 174, 15 οὔσης ἐν τοῖς θεοῖς	om. z y, sed y om. etiam, quae praecedunt.
20. XXXVII* 5 δικαιότατον ep	δικαιότερον z y

ubi res gesta est, infra demum commemoratur; interpolatum esse cognovit Ol. Studi italiani di fil. class. V [1897] p. 21. Hac re vides egregie confirmari O. Rossbachii argumentationem (Roscher Myth. Lex. s. v. Nemesis III 1 p. 119), qua iniuria Wilamowitzium (Hermes XVIII [1883] p. 262 adn. 1) Rhamnuntis mentionem ad Cypria referre contendit; iam enim Catasterismis nihil est cum Cypriis, omnia e Cratino hausit Eratosthenes.

*) Cf. Herm. XXXIV p. 275.

**) Partim interpolata.

***) Nolo reticere, quae in BP in fine totius capitis exstant, ad hanc fabulam referri posse, si deleto *originem* ita leges: *inlationem in astris similem* (scil. ei, quam scholiastae opinione Aristomachus refert, = ep) *refert Hesiodus.*

†) In „Catalogis" horum verborum locus fuit ante Amphidis fabulam, nam Amphis de ortu Sirii stellae, non Canis sideris agit; stella enim est, non sidus, quod pestiferum putabant veteres.

21. XXXVII Rob. p. 178, 14 adn. ἐπὶ τῆς κεφαλῆς α'*)	om. z y
22. XXXVIII Rob. p. 180, 26 ὧν τοὺς ἐπὶ τοῦ ῥύγχους λαμπροὺς γ'	om. z y
23. XXXIX Ol. p. 45, 11 adn. ἐπὶ τῆς ἐσχαρίδος α' (et τοὺς πάντας γ')**)	β' et δ' z y, qui numerus est Hipparcheus, cf. Herm. XXXIV p. 253, 18. 19.
24. XLI* 8 πεπανθέντων	ἐπιτελεσθέντων z y
25. XLII* 2 adn. Προκύων δὲ λέγεται ὡς πρὸ τοῦ Κυνὸς	om. z y
26. XLII Rob. p. 192, 17 καὶ δύνει***)	om. z y
27. XLIII Rob. p. 196, 4 τούτων.	om. z y

C. y cum z ep comparatur.

1. II Rob. p. 56, 12 Ἀγλαοσθένης	Ἀγασθένης z ep
2. II Rob. p. 58, 1 Cynosura quoque praeter Helicen nominatur†).	om. z ep
3. III Rob. p. 60 s. 26 de Dracone a gigantibus Minervae obiecto.	om. z ep
4. III Rob. p. 62, 15 in capite V, in corpore X stellas Draconi tribuit y††);	in capite III, in corpore XII z ep.

*) Interpolatio, cf. Herm. XXXVII p. 278 adn. 2.

**) Etiam in capp. IX et XXXVII in ep summa mutata est interpolatione recepta (cf. Herm. XXXIV p. 270 adn. 2).

***) Interpolatio, ut videtur, ex A 28 orta.

†) Cf. Rob. ad h. l.

††) Ex Ar. v. 56. 57, cf. Rob. ad h. l.

5. V* 3 *Διᾳ* y	*Ἴδῃ* z ep
6. VI Rob. p. 70, 19; 71, 13 anguis stellae enumerantur.	om. z ep*)
7. VIII* Rob. p. 76. 77, 8 de Ursae maioris et Bootis positione.	om. z ep, sed in ep etiam quae praecedunt mutilata sunt.
8. IX Rob. p. 82 s. de aurea aetate bellis, navigio, agrorum cultura vacante.	om. z ep, sed z inde a *Δίκην αὐτὴν ἐκάλουν* om. omnia.
9. X Rob. p. 86, 9 *qui salutares sunt adpellati* BP (om. Hyg)**)	om. z ep
10. X Rob. p. 86, 20 de Zetho et Amphione BP (om. Hyg)***).	om. z ep
11. X Br. p. 68, 16 de stellis, quae post Geminos sunt BP (om. Hyg)†).	om. z ep
12. XI Rob. p. 90 s. de Asinis et Priapo††).	om. z ep, sed z (XI* 2) significat se idem legisse.
13. XII Rob. p. 98 s. de virginibus Lesbiis†††).	om. z ep
14. XIV* Rob. p. 106 s. 13 de Tauro *ἡμιτόμῳ*†*) et orientem spectante.	om. z ep
15. XIV* Rob. p. 106 ss. Hyadum nomina et fabula ex Pherecyde†**).	om. z ep; z (XIV* 9. 10) paullo plura habet quam ep, sed particula *μὲν* l. 8 docemur num-

*) In ep fuit: *τοῦ δὲ ὄφεως ἐπ' ἄκρας κεφαλῆς β'· οἱ δὲ λοιποὶ ἐπὶ τῆς σπείρας τοῦ δράκοντος* (cod. S Ol. p. 8, 18 adn.; cui codici nihil est cum z); in z: *οἱ δὲ λοιποὶ — δράκοντος* et *τοὺς πάντας κγ'*.

**) Cf. Ov. Fast. V 720. Rob. p. 21. diss. p. 35 adn. 1.

***) Cf. Rob. p. 21.

†) Cf. Herm. XXXIV p. 260.

††) Cf. Av. v. 385.

†††) Cf. Rob. p. 5.

†*) Cf. Ov. Fast. IV 718.

†**) Ad. 15—18 cf. schol. Σ 486. Ov. Fast. V 165 ss.

	quam plus quam illud unum enuntiatum in z exstitisse.
16. 17. ib. Hyadum veriloquia duo BP (om. Hyg)*).	om. z ep
18. ib. p. 110 s. Hyades (et Pliades) Hyantis sorores.	om. z ep
19. XIX* 8 *Colchos* BP (om. Hyg)	*εἰς τὸν Εὔξεινον κόλπον* z, *εἰς τὸν Ε. πόντον* ep
20. XIX* 9 adn. *arietem immolasse pellemque eius auream Jovi sacrasse* BP ∽ Hyg**)	om. z ep
21. XXII* 4 adn. *rege insulae Seriphi* BP (om. Hyg, cum aliena immisceret).	om. z ep
22. XXII* 7 *τρεῖς****)	*ἃς* z ep
23. XXIV* 15 *bacchas*	*Βάσσαρας* (sic) z *Βασσαρίδας* ep†)
24. XXIV* 18. 19 *ἔδωκαν Μουσαίῳ* BP††) (Hyg: *quo maxime potuerant beneficio*, quod propius ad z ep accedit)	*οὐκ ἔχουσαι, ὅτῳ δώσειαν* z ep
25. XXIV Rob. p. 142 s. 2 *in cacumine cornuum singulas* BP ∽ Hyg (= *ἐφ' ἑκατέρου πήχεως ἀκρωτηρίου α'*)	*ἐφ' ἑκατέρου πήχεως α', ἀκρωτῆρι ὁμοίως* (om. z) *α'* z ep
26. XXV* 5 *Cratinus* BP (om. Hyg)	*Κράτης* z ep
27. XXVI Rob. p. 146 s. 11 *sed aquae effusio fit ex stellis*	*ἡ δὲ ἔκχυσις τοῦ ὕδατός ἐστιν ἐξ ἀριστερῶν ἔχουσα ἀστέρας β',*

*) Ad 16—18 cf. schol. Ar., cf. etiam Rob. p. 21.

**) Cf. schol. Ar. Rob. p. 124, 17. Böhme, Rh. M. XLII [1887] p. 305. diss. p. 10; cf. etiam, quae infra in cap. III de schol. Ar. disputavi.

***) Recte; non desideratur nomen (schol. Germ. G interpolata sunt ex Isid. Orig. XI 3, 29 p. 371 Lindem.).

†) *Bassaridum* Av. v. 627.

††) Cf. schol. Ar. Rob. p. 140 p. 10.

	XXXI (*XXX* Hyg)*) *ex quibus clarae duae, ceterae obscurae* BP ∽ Hyg	*οἵ εἰσι λαμπροί, οἱ δὲ λοιποὶ ἀμαυροί* z ep**)
28.	XXVII Rob. p. 150, 2 *in naso unam claram . . . sub collo unam* BP ∽ Hyg	alterum om., (*ἐπὶ*) *τραχήλου γ'* z ep
29.	XXVIII Rob. p. 150, 13 *bipes* BP (om. Hyg)	om. z ep
30.	XXVIII Rob. p. 152, 26 *navis* BP (om. Hyg.)	*τοὺς . . λοιποὺς* z ep***)
31.	XXIX* 4 adn. *quod eo telo Aesculapius ab Jove esset interfectus* BP ∽ Hyg	*δι' Ἀσκληπιόν* z ep
32.	XXIX* Rob. p. 155, 8 *cum frugibus, quae eo tempore nascebantur* Hyg (om. BP, qui totam fabulam contraxit).	*μετὰ τῆς καρποφόρου Δήμητρος* z ep†)
33.	XXX* 7 *Ἀγλαοσθένης*	*Ἐρατοσθένης* z ep
34.	XXXI Rob. p. 161 de Tyrrhenis naviculariis Hyg (om. BP).	om. z ep
35.	XXXIII Rob. p. 170, 12 Sirius Isidis stella BP, Hyg II 35 p. 74, 9 Bunte††).	om. z ep

*) Numerus scrupulum movet, cum Ptolemaeus 20 stellas aquae tribuat.

**) *Effusio autem aquae fit* [*dextra*] *laeva*[*que*], *in quo duae splendidae sunt, ceterae vero planae* l; *οἱ — ἀμαυροί* om. ep.

***) Cf. Herm. XXXIV p. 274.

†) *Δήμητρος* corruptum esse cognovit Rob. (cf. etiam O. Crusium apud Roscher, Myth. Lex. I 2 p. 2809 adn.), non legit Hyg. Mihi videtur interpolatum esse; fuit autem *καρποφόρου καλάμης* (*πυρῶν καλάμη* Her. IV 33; inde Callim. hymn. IV 283. Paus. I 31) vel *ἀμάλης;* nam agitur de manipulo eodem, quem in aliis fabulis virgines Hyperboreae traduntur Delum pertulisse. Quin etiam Abarin Herodoti (IV 36) vel potius Aristeae (Roscher I 2 p. 2814), cum has aristas possideret, *οὐδὲν σιτεόμενον* terras peragrasse putaverim (de Apolline *καρπῶν δοτῆρι* cf. Roscher I 2 p. 2832 N. 57).

††) Cf. schol. Ar. p. 366, 18.

36.	XXXIII Br. p. 95, 15 de stellis, quae post Canem sunt BP*) (om. Hyg).	om. z ep
37.	XXXVII Rob. p. 178, 13. 179, 7 *καλεῖται* y (*vocatur* BP, *adpellatur* Hyg)	*φαίνεται* z ep
38.	XXXVIII* 4 CANBISI *in* — (= *Βαμβύκην*) BP (om. Hyg)**)	*Βοεκμύκη* z *βοββύκων* ep
39.	XXXVIII Br. p. 99, 5 de stellis, quae post Piscem sunt BP***) (om. Hyg).	om. z ep
40.	XL* 2 *ὁ Κρόνου καὶ Φιλύρας*†)	om. z ep
41.	XL Rob. p. 187, 11 *et inter utrosque pedes I* Hyg (om. BP)	om. z ep, sed ep etiam plura om.
42.	XLI Rob. p. 191, 20 *infra ansas alias duas obscuras* Hyg (om. BP)	om. z ep, sed z etiam plura om.
43.	XLII* 4 *Ἄρκτος* BP (om. Hyg)††)	*Λαγωός* z ep
44.	XLII Rob. p. 192, 14 (Ol. p. 50 b 13) *est* (quamquam incerta lectio) BP (om. Hyg)	*ἀνατέλλει* z ep
45.	XLII Rob. p. 192, 17 *ante* (= *πρότερος*?) BP (om. Hyg)	*πρῶτος* z ep
46.	XLIII Rob. p. 194 s. Phaenontis fabula.	om. z ep†††)

*) Cf. Herm. XXXIV p. 261.

**) *Bombicii* (*pisces*) Av. v. 542.

***) Cf. Herm. XXXIV p. 261.

†) Cf. Nig. Fig. Br. p. 90, 16.

††) Cf. schol. Ar.

†††) Phaenon in z ep *μέγας* dicitur falso; om. y.

47. ib. Phaethontis fabula*).	om. z ep, quorum uterque etiam *υἱοῦ*, quod deesse nequit, om.
48. ib. Pyroentis fabula.	om. z ep
49. ib. Rob. p. 196 s. Phosphori fabula.	om. z ep
50. ib. Rob. p. 194, 26 *igneum colore* BP (om. Hyg)	*τὸ χρῶμα ὅμοιος τῷ ἐν τῷ Ἀετῷ* z ep**)
51. ib. Rob. p. 196, 10; 197, 13 *Φωσφόρος καὶ Ἕσπερος* (recte)	*Ἑωσφόρον καὶ Φωσφόρον* ep, quod in *Luciferum vocant, eo quod mane oritur*, l latere puto***).
52. XLIV Rob. p. 198, 32 de Circulo lacteo ex Opis lacte orto†).	om. z ep

---

*) Phaethon *οὐ μέγας* audit in ep falso; om. z y. Quod in Catast. Phaenon Jovi, non Saturno, Phaethon Soli, non Jovi attribuitur, inde reor factum esse, quod Eratostheni, cum sua quodque sidus fabula esset ornaturus, Phaethontis, Solis filii, fabula sponte se obtulit; ideo alteram fabulam, qua Jovis stella celebratur, ad Phaenontem transtulit; quam apud Heraclidem omnino non fuise sideralem forsitan recte statuit Wilamowitzius (Herm. XVIII [1883] p. 421 adn. 2).

**) Cf. Herm. XXXIV p. 276 s.

***) In 43—51 z ep prorsus eundem textum exhibent.

†) De ea Circuli lactei etymologia, quam Hyg solus habet (cum Achille), nolo iudicium ferre; cf. Herm. XXXIV p. 267. — Sunt, quae haud scio an desideres; velut IV Rob. p. 64, 3; 65, 7 *ut refert Panuasis Heraclea* apud y solum legitur; sed vide, nonne idem lateat in l (M. p. 191 a, 2) *historialiter dicitur hunc magis superasset Hercules*; legit Panyasidis nomen Av. (v. 175). XIII* 9, ubi in y legitur Myrtilum *a patre* astris esse inlatum, dubius sum, quid fuerit in z *(δι' Ἑρμοῦ γεγονέναι)*. Deinde (cap. XXXII) in z *Ὑριεύς* fuisse vocabulo *iniuriam* M. p. 249, 2 evincitur, BP habet *Caubrisa*, Hyg *Catrea*; sed ep hanc fabulam omisit, neque iam Nonno et schol. ε 121 uti audeo (cf. diss. p. 19. Herm. XXXIV p. 264 adn. 3).

III.

Omnia fere, quae collegeram, proponenda esse putavi, ut, si quis legeret, omnia posset examinare; si quid me fugit, si non prorsus aequaliter rem tractavi, veniam peto, cum inter alias curas haud mediocres brevissimo temporis spatio hic libellus mihi conscribendus fuerit. Sequitur autem ex omnibus his locis primum, id quod neminem antea dubitasse arbitror, nullam harum recensionum ex alia fluxisse. Num earum duae ex eodem fonte fluxerint, si dispicere volemus, vastam congeriem oportebit digerere.

Atque primum quidem (I) omnes singulorum vocabulorum corruptelas, quas una recensio traxit, non amplius respiciemus; sunt autem A 16. 20. 21. B 20.

Deinde (II) eis locis non amplius utar, qui num re vera unius recensionis proprii sint, dubium est, quod in altera ceterarum exstant quaedam particulae, unde hanc eadem legisse possit concludi: A 10. 15? B 17? C 12. 45.

Tum (III) eicienda videntur, quaecumque eo dubia sunt, quod lacunae in ceteris recensionibus non eaedem sunt, sed earum altera plura omisit; quod cum accidit, idem frustulum in utraque casu omissum esse fingi potest: A*) 5. 7 b. 7 c. 8. 9. 17. 18. 22. 26. B 4. 5. 6. 14. 19. C 7. 8. 41. 42.

Tum (IV) ea missa faciam, quae interpolata videntur esse (interpolata autem hic dico, quaecumque librarius sua sponte mutavit): A 4. 6. 7 a? 13. 19. 23? 24. 25. 27. 28? B 1. 2? 5? 6. 7. 8? 9. 10. 11. 12. 13. 15. 16. (17)**). 19. 21. 23. 24. 25. 26. 27. C 4. 20. 24. 35. 43. 50. His adiungo (V) aliquot locos ex C, qui quamquam mihi genuini videntur, ab aliis fortasse ideo in dubitationem vocabuntur, quod a BP aut Hyg solo traditi


---

*) De A 2 cf. supra p. IX.

**) Si y eadem habuit, B 17 non iam huc facit, sed ad (II) referendum est.

sunt; nec tamen omnes eiusmodi locos hic adferre volui; potest autem dubitari de C 9. 10. 21. 29. 34. 42. 44.

Jam summam faciamus! Non addubitavimus aut saltem non utique exclusimus A 1. 2. 3. (7 a). 11. 12. 14. (15). 23. (28). B (2). 3. (8). 18. 22. C 1. 2. 3. 5. 6. 11. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 22. 23. 25. 26. 27. 28. 30. 31. 32. 33. 36. 37. 38. 39. 40. 46. 47. 48. 49. 51. 52. Vel si multitudinem consideraveris, y pro se stare concedes; accedit, quod sexies (C 1. 5. 26. 33. 38. 51)*) y veras nominum propriorum formas servavit, cum in ep z — plerumque eundem in modum — corrupta essent; textus haud dubie corruptus in ep z fertur C 6. 22. 25. 27. 28. 30. 32. 37. Dixerit quispiam — nam de secundo p. Chr. n. saeculo agitur — haec a bono quodam grammatico esse correcta. Sed quid, quaeso, de tot aliis locis faciamus, ubi y non solum praestat, sed plura habet? Quis est, qui haec omnia casu quodam in z simulque in ep excidisse arbitretur? Itaque z et ep e communi fonte fluxisse debent, atque hoc stemma proponendum est:



Sed quomodo illos recensionum z et ep locos explicabimus, quos illarum utraque sola habet? An omnes iam spurios ducemus? Iterum eos examinemus! Primum igitur tenendum duobus locis (A 14. B 18) de ordine agi: eum a recensionum z et ep librariis mutatum esse facile concedes; deinde loci A 1—3 (ut 9) ideo facile omitti poterant, quod vix erant intellegibiles; eidem in extremo capite leguntur, ubi facilius omitti poterant, quam si medio capiti fuissent interpositi; cadit hoc etiam in A 12 (5. 24. 27). B 2. 22. (6. 17) (sed unus vel alter horum locorum interpolatus fuerit)**). Deinde in A et B nonnulla brevia exstant enuntiata, quae nihil ad rem faciunt ideoque casu bis possunt omissa esse, ut A 15. B 3. 8***); ea vero, quae restant, maximam partem eiusmodi sunt, ut

*) In C 19 in ep z glossema videtur inrepsisse, C 23 ep z praetulerim.

**) In extremis capitibus leguntur C 11. 13. 36. 39.

***) C 21. 40 (utrumque aliunde sciri poterat).

tuo iure dubites, num sint genuina. Nam novi nihil prorsus adferunt, verba solum addunt; de A 7 a. 23. 28. B 2 iam supra dubitavi; de A 11 ceteris perpensis non iam verba faciam*).

Sed quamvis diversae inter se sint hae recensiones, tamen ex uno omnes archetypo fluxisse facile demonstratur; nam

XXXIII* 3 *δράκοντος* pro *ἄκοντος* habent z ep BP (om. Hyg),

XIII* 6 lacuna exstat in z ep, sed quod desideratur *εἰς τὰ ἄστρα ἀνήγαγεν* ne Hyg quidem legit (mutata haec in BP),

XXXIX* 7 *ἔν τε τοῖς ἀγῶσι καὶ ἐν τοῖς ὀμνύειν βουλομένοις* habent z schol. Ar. (om. ep.): corruptum legit locum etiam BP (om. Hyg),

XLI* 6 *ἐρινεούς*, quod interpolatum est, habent z BP (vidit Ol.).

De hoc autem archetypo non aliud feremus indicium, atque Rob. tulit ante hos viginti annos (p. 33); fuit eius librarius homo ineptissimus. Nam nonnullos locos propagavit, qui mutato genuini operis ordine sensu carebant; nec feliciore manu egit, cum quaedam interpolaret Arati gratia. Nam etsi inepta illa interpolatio Hipparchea (XXIII) ut recensioni y aliena itemque, quae in cap. XVIII* 6. 7 fertur, fortasse non in Catasterismis fuit, tamen propriae sunt Catasterismorum ineptissimae interpolationes capitum IX (Rob. p. 82, 4**) M. p. 201, 9) et XXXVII (cf. diss. p. 42 adn. 1).

